



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 45. Cadomus a Connestabili oppugnata

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

cinxit, cepitque, quam urbem sibi a Re-  
 ge donatam pleno dominio suo vendica-  
 vit. Comes Claromontius Bajocas, &  
 Britanniae Dux Abrincam suis subjecere  
 armis; Valonia, Briquebecium, Tombe-  
 lanæ castrum haud procul a Monte S. Mi-  
 chaelis situm, S. Salvatoris oppidum, ce-  
 teraque omnia circumvicina loca Victo-  
 rum arbitrio cesserunt. De his tam fe-  
 liciter gestis Rex per universum regnum  
 solemnibus supplicationibus Deo gratias  
 agi decrevit. Guillelmus quoque Char-  
 terius Parisiensis Episcopus supplicatio-  
 nem memoratu dignam instituit, in qua  
 duodecim millia puerorum, atque puel-  
 larum, ætatis septem usque ad undecim  
 annorum, singuli facem ceream manu ge-  
 stabant, binique ab Ecclesia Sanctorum  
 Innocentium ad S. Mariæ procedebant,  
 sequentibus Sacellanis, sacras Reliquias  
 deferentibus.

## §. XLV.

*Cadomus urbs a Connestabili  
 oppugnata.*

In tota Normannia non nisi Cherobur-  
 gum, Donnifrons, Falesia, & Cadomus  
 Anglis reliqua fuere, quæ tamen omnes  
 munitissimæ erant arces, ac validis in-  
 structæ præfidiis. Galli primo Cado-  
 mensem urbem, quam Dux ipse So-  
 mersetus cum quatuor Anglorum milli-  
 bus

**Sæcul. XV.**  
**A.C. 1450.**

bus tuendam susceperat, obsidione premunt. Die quinta Junii Connestabilis in quodam civitatis suburbio ad latus Bajocensis urbis, in Abbatia S. Stephani Ordinis S. Benedicti cum copiis suis sedem fixit. Eodem vero die Comes Claromontius Vernolio relicto ad Connestabilis castra se contulit, stipatus Castrensi Comite, Montgasonio, Mougo, Roberto Floquetio Ebroicensi Præatore, Petro Lovaniensi, Carolo Fayette & circiter novem armatorum millibus. Comes vero Dunensis ad alteram urbis partem versus viam, quæ Parisios ducit, cum quinque millibus castra locavit, ac Ornum fluvium ponte junxit, per quem sibi ad Connestabilis exercitum tutus pateret aditus. Paucis ex post diebus Rex ipse ad castra venit, comitantibus Renato Andegavensi, Calabriæ Duce ejusdem Filio, Cenomanensi, & S. Pauli Comitibus, Tancarvilla, Lomaignæ Vicecomite, Joanne, & Ferri Lotharingis, Barone de Fraissnel Franciæ Cancellario, Blainvilla & Preuillio, Bituricensi, & Lugdunensi Prætoribus, aliisque magno numero Nobilibus. Rex in Abbatia Arduenna Ordinis Præmonstratensium diversatus, ibidem toto obsidionis tempore morabatur.

§. XLVI.